Annalibus nostris scholasticis praefandi negotio ad me delato, cum, quae et virorum doctorum libros legendo et adulescentium docendorum scripta corrigendo instructus ad tironum commentationes latinas scribentium usum componere instituissem, otio, quod muneribus superfuerat, per maiorem anni partem temporum iniquitate omni fere praerepto, perficiendi spe deiectus essem, ne officio meo defuisse viderer, circumspicienti, qua de re, praesertim in huius civitatis inopia librorum, paucis ita disputare possem, ut non totus eruditis hominibus improbarer, rursus se obtulit meus mihi Vergilius — sic enim iam scribo cognitis iis, quae de eius nominis formis Ritschelius opusc. vol. II. p. 779 sqq. accuratissima disputavit; quamquam ne nunc quidem omnis animo meo exemptus est scrupulus; nam residet, fateor, dubitatiuncula, an qui a Neapolitanis *Παρθενίας* (cf. vit. Donat. §. 22), ab urbanis amicis Virgilius sit appellatus — quaeque pridem in schedas conieceram potius quam perscripseram, ea nunc placuit ut revocarem atque unum aliquem ex iis locum selectum, cuius retractatio haud multi temporis esse videretur, secundis curis recultum, hac scribendi opportunitate usus collegis meis et si qui alii hoc genere studiorum oblectantur, iudicandum proponerem. Itaque ad institutum veniamus.

Decantant poetarum interpretes grammaticorum oracula, genus pro specie et contra et aliam pro alia generis parte poni passim docentium. Itaque a Vergilio cum Aeneas a Thracia Delum austro navigasse narretur, aquilone rursus vento Carthagine profectus classe Italiam petisse, ut ea difficultas aut oblitteretur aut solvatur, in omnibus quoscumque inspexi commentariis aut altum silentium obtinetur, aut, vetere Servii commento usque recocto, cum auster vel aquilo vel eurus vel zephyrus pro quolibet alio vento promiscue poni possit, illic austrum pro aquilone, hic aquilonem pro austro temere esse dictum perseveratur: quasi vero sanis hominibus quidvis pro quovis, nigrum pro candido, pro aestate hiemem, diem pro nocte, virtutem pro vitio dicere liceat, quod non credet nisi qui veteres poetas licentiam pro lege, insaniam pro arte habuisse balbutientes sibi persuaserit. A qua confusione foedissima cum elegantis hominis sensus abhorrere deberet, ipse Heynius (exc. III. ad libr. I. Aen.), ventorum pugnae specie perturbatus Servianae auctoritati continuo manus dedit, paene dixi, 'laudabiliter se subiecit', quem secuti sunt Wagner, Forbiger, Gossravus, alii. Ceteri cum de sectaria illa dementia credere non possent, silentio salutem sibi petierunt, velut Peerlkampus, qui plurimas orationis Maronianae salebras et peracute vidit et qualicumque re explanavit plurimosque in scirpo nodos et quaesivit et expolire conatus est atque etiam, at Batavus, ipsius poetae manum saepissime tersit. Ac Weidner (comment. in Aeneid. l. I. et II.) cum multa multis verbis explicaret, a multiplici illa doctrina ventorum turbae remedium cupide exspectantem lectorem tacendo quam dicendo docere videtur maluisse. Neque tamen videntur defuisse qui quantum insaniret Servii ratio subintellegerent; quam tamen viam ad difficultatem illam expediendam ingrederentur satis certam non habuerunt. Thielius quidem ad Aen. I. 108 ad arbitrium libidinemque ventum pro vento, quem res non posceret, ponendi licentiam alienissimam esse a Vergilio, qui cum in omnibus rebus tum in attributis, exemplis, similibus esset diligentissimus, verissime dixit, sed cum, qua ex ipsis angustiis Maronis verba expedienda essent, monstrare deberet, vel ad I. 391 vel 536 vel 575, vel ad III. 61 vel 70, vel ad VI. 336, obstinate tacuit, quod erat prudenter factum. Eodem prudentiae genere usus Ladevicus (alteram eius editionem in manibus habeo), qui eum nodum ne uno quidem verbo attigit, silentio se munivit, nisi quod e Thielii et Gossravi copiis Aen. l. V. versui 2 notulam adspersit doctrinae plenam. Antonius vero Goebelius cum in diariis litt. Vindob. de Quaestionibus meis Virgilianis[1]) humanissime disputaret, ventorum turbas, nisi memoria me fallit, ad repugnantias Aeneidis rettulit in earumque rerum posuit numero, quae carmen illud a poeta non absolutum coarguerent, quasque, si diutius vixisset, correcturus fuisset Vergilius. Quod aliter necesse est se habere, siquidem a febricitante poeta illos versus esse effutitos nec cum ad se redisset, continuo deletos credibile non est. Unum tamen erit concedendum, ad Aeneidem solam, non ad Bucolica quoque vel Georgica totum hoc genus sive in neglegentia sive in repugnantia sive in alia qua re positum pertinere. Nam Georg. IV. 261 'frigidus auster' satis explicatur 'umido austro' (G. I. 462), 'pluvialibus austris' (G. III. 429), coll. cum 'pluvio frigore' austri (G. III. 279), ut recurrere non opus sit ad Macrobii doctrinam, qui comment. in somn. Scip. l. II. c. 5 med. (ed. Bip.) haec habet: 'Sciendum est autem, quod ventus, qui per hunc (i. e. meridiei) ad nos cardinem pervenit, id est auster, ita in origine sua gelidus est, ut apud nos commendabilis est blando rigore septemtrio: sed, quia per flammam torridae zonae ad nos commeat, admixtus igni calescit, et, qui incipit frigidus, calidus pervenit'.

[1]) Treveris Lintzianis formis exscriptae MDCCCLXIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In Aeneide vero quae sit ventorum ratio ut appareat, usum eorum Vergilianum paucis iam indicabo. In tempestatis descriptione I. 85 sq. totum mare 'una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis Africus', 102 sqq. 'stridens aquilone procella velum adversa ferit', 108 sqq. naves 'tris Notus abreptas in saxa latentia torquet (saxa vocant Itali mediis quae in fluctibus aras, dorsum inmane mari summo), tris Eurus ab alto in brevia et syrtis urguet', 131 Neptunus 'Eurum ad se Zephyrumque vocat', 391 Venus classem nuntiat 'in tutum versis aquilonibus actam', 536 sqq. Troianos Orion 'procacibus austris dispulit', 575 Aeneas 'ipse noto compulsus eodem' Carthagini adest. In comparatione II. 416 sqq. 'adversi rupto quondam turbine venti confligunt, Zephyrusque Notusque et laetus eois Eurus equis'. Libr. III. Troianos, qui v. 60 sq. e Thracia, 'scelerata excedere terra' 'et dare classibus austros' constituerant, v. 70 'lenis crepitans vocat auster in altum', 120 Anchises, Delo Cretam cum suis travecturus, 'nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam' 'mactavit'; IV. 562 Mercurius Aeneam 'audire' iubet 'Zephyros spirare secundos'; V. 2 Aeneas a Carthaginis ora in altum provectus, ut in Italiam transiret, 'fluctus atros aquilone secabat', VI. 334 sqq. apud inferos Aeneas cernit 'Leucaspim et Oronten, quos' inter Siciliam et Africam 'obruit auster, aqua involvens navemque virosque'. Haec ad controversiam faciunt. Reliquis locis, ubi venti certis vocabulis significati commemorantur, aut suis illi nominibus constant, veluti aquilo III. 285, IV. 310, VII. 361, boreas III. 687, IV. 442, XII. 365, auster II. 111, III. 357, 481, V. 696, 764, 850, IX. 670, notus III. 268, VI. 335, VII. 411, X. 266, ubi cf. Serv. [1]) 'horum (i. e. notorum) enim calorem fugiunt'; sic enim legendum; eurus I. 140, 317, Zephyrus V. 33, corus V. 126, iapyx VIII. 710: aut ita sunt positi, ut, qui potissimum ventus nominetur, nihil omnino referat, ut auster I. 51 ('loca feta furentibus austris'), II. 304 ('in segetem veluti cum flamma furentibus austris incidit'), VIII. 430 (Cyclopes fulmini radios 'addiderant rutili tris ignis et alitis austri'), notus V. 242 ('noto citius'), 512 (columba 'notos atque alta volans in nubila fugit'), XI. 798 ('inque notos vocem vertere procellae'), XII. 334 (Mavortis equi 'ante notos zephyrumque volant'), eurus I. 383 (naves 'convolsae undis euroque'), VIII. 223 ('ocior euro'), XII. 733 ('ocior euro'), Zephyrus IV. 223 (Juppiter Mercurium sic alloquitur 'voca Zephyros et labere pinnis'), X. 103 (Jove dicente 'Zephyri posuere'), XII. 334 (vid. supr.).

Iam de singulis videamus. Ac primum quidem iure miratur Heynius (exc. III. ad l. I. Aen.) cumque eo Weidner (comm. ad Aen. I. 85) in ventorum illo turbine ac tumultu, qui in l. I. descriptus est, non memorari eum ventum, cuius ad Aeneae classem ad Africae litora reiiciendam partes debuerint esse praecipuae, aquilonem, quem hoc loco 'omissum a poeta v. 102 redditum' satis pueriliter Servius notavit, tantoque magis miratur Heynius, quandoquidem in Homeri loco, quem Virgilius expressit, Od. ε, 295 sq. cum *Εὖρῳ Νότῳ Ζεφύρῳ καὶ Βορέης αἰθρηγενέτης* memoratus sit. Adauget admirationem eiusdem aquilonis in comparatione Aen. II. 416 sqq. praetermissio. A Seneca vero, qui Nat. Quaest. V. 16 aquilonem cum africo in unam tempestatem posse congregari, si lectio certa [2]), negat, provoco ad eiusdem Heynii de subitis ventorum conversionibus ac procellarum ab omnibus plagis circumagentium se vicissitudine cogitandum esse recte arbitrati sententiam; quae non minus de iis valet, quae in nonnullis Servianorum codicibus ad I. 85 scripta sunt: 'Bene hos modo tres ventos inferiores tantum nominavit, (qui a sedibus imis mare commovent,) Zephyrum et Aquilonem tacuit, Zephyrum, qui ad Italiam ducit, Aquilonem, qui desuper [3]) flat'. Quod autem Weidner (ad I. 85) ad Vergilianum locum enodandum protulit, cum Aquilonem videri diceret abesse, quod is ventus a Vergilio non iam persona indueretur, id vereor ut minus recte se habeat, siquidem, quominus pro Aquilone Boreas, qui idem est ventus (cf. Gell. II. 30, 8), poneretur, nihil obstabat; qui re vera etiam apud Vergilium vel hominis vel dei partes sustinet; nam Aen. XII. 365 sq. '*Edoni* Boreae spiritus alto insonat Aegaeo' et X. 350 Aeneas 'tres quoque *Thraeicios* Boreae de gente suprema' sternit. Accedit, id quod maximum est, quod inter aquilonem et Aquilonem sive boream et Boream discrimen tam exiguum est minutumque, ut a poetis, qui in omni oratione rebus inanimatis animum sensumque tribuere solent, non ubique religiose scrupuloseque ser-

[1]) Lionis editione utor, Thilonis copia non erat. — [2]) Weidmanniana (Lips. 1770) editione utor.

[3]) Quod quale sit intellegitur e Gell. N. A. II. 30, 2 sqq. (ed. Hertz.): 'fluctus, qui flante aquilone maximi et creberrimi excitantur, simul ac ventus posuit, sternuntur et conflaccescunt et mox fluctus esse desinunt. At non idem fit flante austro vel africo; quibus iam nihil spirantibus undae tamen factae diutius tument et a vento quidem iamdudum tranquillae sunt, sed mare est etiam atque etiam undabundum. Eius rei causa esse haec coniectatur, quod venti a septentrionibus ex altiore caeli parte in mare incidentes deorsum in aquarum profunda quasi praecipites deferuntur undasque faciunt non prorsus inpulsas, sed imitus commotas, quae tantisper erutae volvuntur, dum illius infusi desuper spiritus vis manet. Austri vero et africi, ad meridianum orbis circulum et ad partem axis infimam depressi, inferiores et humiles, per suprema aequoris euntis protudunt magis fluctus, quam eruunt, et idcirco non desuper laesae, sed propulsae in adversum aquae, etiam desistente flatu, retinent aliquantisper de pristino pulsu impetum'. Ex quibus vacillare illam Serviani cuiusdam rationem elucet. Cur autem integrum hunc locum exhibuerim, paulo infra apparebit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vari nihil sit quod mirere. — Ut ad ipsam tempestatem revertar: quod Servius ad I. 111, et 575 (Serviumque secuti omnes deinceps usque ad Heynium Vergilii enarratores), quo naves 'tris a Noto abreptas in Aras', 'tris ab Euro in brevia et syrtes (al. Syrtes) tortas', classem in tutum versis aquilonibus actam 'regemque noto compulsum eodem' Carthaginem explicarent, Aeneam in Syrtes, infames illas naufragiis maris Libyci sinus statuit esse delatum (ita tamen, ut adiectis ad I. 575. his verbis, 'aut quovis vento' animi proderet dubitationem), id quam ineptum esset, idem Heynius exc. IV. ad l. I. ostendit, cum syrtes de locis arenosis quibuscumque accipi iuberet, collatis tamen iis locis, ubi Aeneas 'in Gaetulis Syrtibus' immania quaedam pericula adisse fingitur, aliquantum dubius, an dormitasse poetam censeret. Dormitasse eum non credo, cum III. 120 Anchisen Delo Cretam profecturum 'nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam' mactasse narraret; neque enim zephyro flante in Cretam ille navigare non potuit, neque ipso zephyro usos in eam insulam Troianos pervenisse proximis versibus dictum est; immo v. 130 'prosequitur surgens a puppi ventus euntis'. Eadem prorsus ratio est zephyrorum, qui IV. 562 spirare nuntiantur; enimvero sane secundi sunt a Carthaginis ora solventibus, aquilo contra quam maxime adversus. Itaque V. 2, ubi Aeneas 'fluctus atros aquilone secabat', alii et plurimi quidem (eos non numero qui quidvis pro quovis poni somniant) Aeneam, Iovi dicto audientem, vel adversissimis ventis — zephyri enim, quos Mercurius ei promiserat, non sunt; nam V. 19 sq. 'mutati transversa fremunt et vespere ab atro consurgunt' — in altum provectum volunt, ut Thielius Ladevicusque, qui a IV. 310 'mediis aquilonibus' auxilium petierunt; alii cum Servio faciunt, qui '*atros aquilone*' inquit 'quos nuper flans aquilo atros effecerat: ut: *et mediis properas aquilonibus ire per altum.* Nam [ex Africa venientibus auster secundus est, aquilo adversus; ergo hoc dicit, quod fluctus, qui atri esse consuerunt aquilonis flatu, qui ante flaverat[1]), secundo flatu secarit Aeneas surgente zephyro, ut Mercurius: *nec zephyros audis spirare secundos?* Sed] novimus, tempestatis hanc esse naturam, ut reliquias venti teneat, etiam in alterius flatu. *Atros* autem secundum Plinium dicit, qui ait in Naturali Historia, non esse maris certum colorem, sed pro qualitate ventorum mutari: et aut flavum esse aut luculentum (al. lutulentum) aut atrum'. Huius igitur auctoritate inducti 'atros aquilone' coniungunt, praesertim quod, ut legitur apud Gell. II. 30, 'a peritissimis rerum philosophis observatum est, austris spirantibus mare fieri glaucum et caeruleum, aquilonibus obscurius atriusque'. Quae sententia est Weidneri (ad I. 102), qui si illud Gellii caput, unde particulam (ad I. 85) excerpsit, quodque paene integrum supra attuli, totum oculis perlustrasset, nullam intellexisset Servii esse auctoritatem. Atri autem fluctus nullo negotio explicantur, si de vespere cogitaveris, quo tempore 'medium Aeneas iam classe tenebat certus iter' (V. 1 sq.), ad quae idem ille Servius adnotavit haec 'Sane intelligendum, non potuisse fieri, ut una nec plena die Aeneas ad Siciliam perveniret. Unde accipiendum est, sicut supra legimus, quod circa primum ortum lucis navigavit, ut *regina e speculis ut primum albescere lucem vidit et aequatis classem procedere velis.* Ergo tota die, dum se Dido interemit, dum fletur, paululum provectus est, leniter spirantibus ventis: et flammas rogi[2]) circa vesperam vidit, quo tempore et per naturam ignem videre potuit, et per pristinum morem, quo per diem cadavera non incendebantur'. Diu cum bona venia tua in Servianis immorabamur. Sed neque Servii servis neque illis quos priore loco posui interpretibus qui pium Aeneam velificando miracula patrantem faciunt, astipulabitur cui quintum inter quartum sextumque Aeneidis librum postea demum ab ipso poeta, ut carminis epici argumentum dilataret amplificaretque, mutata anni temporum ratione interiectum Quaest. Virg. p. XXIII. sq. et XV. probaverim. Verum utcumque de Aeneae classe aquilone vento in Italiam transvecta statuitur: ex his quidem angustiis nemo eam umquam ullis explicandi artificiis expedire conatus est. Longe enim asperrimus et qui totam hanc causam decernat locus est III. 61 et 70; nam Troianis, qui in Thracia consederant, cum 'scelerata excedere terra' constituissent, 'dare classibus austros' mehercule perquam periculosum erat, nisi forte ipsi naves in litus illidere voluerunt, e Thracia profecturos 'auster vocare' omnino non potuit[3]). Hinc igitur luce clarius apparet, non illud quidem quidvis pro quovis, at austrum certe pro aquilone esse positum; illinc, aquilonem austri esse loco verisimillimum est. Intra huius permutationis fines usus Vergilianus substitit nec longius evagatus est; nam zephyrum vel (l. III.) pro aquilone Thrasciave vel (l. IV.) pro austro africove esse evinci nequit, et quod I. 383 Aeneae naves 'septem convolsae euro' sunt, etiamsi eurum non credas pro quolibet vehementi vento esse dictum, in ventorum procelloso concursu nihil movet admirationis.

Quod igitur aquilo pro austro, auster sive notus pro aquilone a Vergilio dictus est: quid inde efficitur aut quam habet explicationem? Dicam tribus verbis: idem ventus est, certe Vergilio; nam de hoc nunc

[1]) hic distinguendum, non cum Lione ante 'secarit'.

[2]) cf. Aen. V. 3 sq.

[3]) Quod Servius (ad h. l.) vidit, Lion, eius editor, vidisse non videtur, qui cum scribere deberet 'a Thracia aquilone navigatur', 'ad Thraciam' excudi voluit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quaero: de aliis poetis alii viderint[1]). Audacior fortasse tibi videor; sed audaciae sane locum esse in re desperata quis neget? Nec sine ratione audax esse ausus sum. Quae ut intellegatur, in semasiologiam quam vocant accuratius inquirendum videtur. Insunt autem in austro duae notiones inter se coniunctae, quarum una est venti, altera ad tractum regionemque pertinet meridianam. Quae vulgo quidem ita sunt consociatae, ut denotetur qui a meridie venit ventus, a Vergilio vero sic in unum confusae, ut qui ad plagam flat australem ventus intellegendus sit[2]).

Sane audacter novatum id a Vergilio est, attamen neque sine eximia quadam vi poetica est neque omni similitudine caret. Nam ut taceam de 'Libyco cursu' VI. 338, de quo conferantur quae Quaest. Virg. p. XXIII. scripsi: III. 671, ubi Troianos a Siciliae litore fugientes Polyphemus manu captitans 'nec potis Ionios fluctus aequare sequendo' describitur, 'Ionios fluctus' nemodum quantum video satis recte interpretatus est. Nam qui in eo mari quod propter ipsam Siciliam est insunt fluctus intellegi vix possunt: qui si essent, 'nec potis est Siculos fluctus' e. q. s. poeta in geographia diligentissimus scripsisset; praeterea motum aliquo versum indicare debebat; id quod primus vidit Wunderlicus. Quare Gossravus fluctus interpretatur qui veniunt e mari Ionio; 'itaque' inquit 'ventus eos in fretum Siculum propellit', quod quo modo fieri possit, ipse viderit. Tum, credo, Vergilius 'Libycos fluctus' scripsisset; nam ad meridiem vergit mare Libycum, non Ionium. Quae autem Ladevicus scripsit: die aus dem ionischen Meere kommenden Fluthen, welche die Schiffe dahintrugen, non satis intellego. Ceteri difficultatem non tetigerunt. Atqui manifestum est classem aut septentrionem versus aut inter septentrionem et occidentem solem, qua regione Ionium est mare, vento fluctibusque ferri, id quod e proximis versibus, imprimis v. 687 patet. Ergo Ionii fluctus cum vulgo dicantur qui in Ionio mari sunt, vel (Georg. II. 108 'nosse quot Ionii veniant ad litora fluctus') qui inde veniunt, hoc quidem loco, qui in Ionium mare feruntur intellegantur necesse est. Contra Ovidius (Metam. I. 435) 'altum aestum' dixit aestum qui ex alto (caelo) venit, non qui in alto est. Etiam contrariam contraria significationem eadem in dictione ita permutari, ut, quam vim habeat, e verborum contextu appareat, documento sunt 'reliquiae Danaum' (I. 30, 598, III. 87), quibus significantur non, ut vulgo, qui reliqui sunt e Danais, sed quos e Troianis Danai reliquos esse voluerunt. Non aliter II. 436 'Pelias volnere tardus Ulixi' est i. e. eo volnere, quod Peliae Ulixes intulit, non quod Ulixes accepit. Confer etiam VI. 445 sq. 'Eriphylen crudelis nati monstrantem volnera' i. e. a filio sibi inflicta. Quid quod 'sinum' Vergilius non solum eam maris partem dixit, quae in terram se insinuat, velut Aen. I. 243, III. 551, 689 al., sed semel etiam terrae angulum, qui in mare excurrit, Georg. II. 123, ubi interpretes tricantur, saepius, qui Vergilianae dictionis vestigia legit, Tacitus, ut Germ. 1 et 37 in. Ann. IV. 5, ubi quae Draeger adnotavit parum accurata esse iam vides; Livius enim non primus eo vocabulo ita usus est, sed acceptum rettulit Vergilio; cf. etiam Germ. 29 Agr. 23. Latissime patet hoc genus permutationum, quod persequi possum; sed longum est.

Ad poetae vero artificium quod attinet, profecto nec ab arte nec a ratione videtur abhorrere, si quis austrum fingat vel pluviosum madidumque vel siccum et fervidum se recreandi causa in septentrionalem spirare plagam, ubi cum se refrigerarit, serenum factum, mutato nomine, in calidiores orbis terrarum partes reflare, atque, quemadmodum Romani duo vel cubiculorum vel hortorum habuerint genera, alterum hibernum, solibus oppositum, alterum aestivum, ad septentriones versum, sic illum duas habere domus, quarum una solis caloribus tepida sit et concalefacta, altera frigorum gelidis perennitatibus commendabilis. Itaque **in Vergilii Aeneide Auster seu Notus et Aquilo unus idemque ventus est.**

Quod si mihi concesseris — et concedas videtur necesse esse; aliam enim non video viam e difficultatibus emergendi — nova lux affunditur illis locis quos supra attigimus I. 85 sq. et II. 417 sq., ubi e ventorum procelloso certamine abesse aquilonem Heynius et Weidner suo iure mirati sunt, nos iam mirari desinimus; ac nunc tandem exturbatus erit et manebit Aeneas e Syrtibus illis, quo misellum illum hominem Servius intulit, quarum opinionem ex interpretum animis nondum radicitus evulsam esse et e Weidneri ad I. 111 adnotatione extr. et e recentiorum quarundam editionum maiuscula Syrtium nominis initialis litterae forma cognoscitur. Adversari autem ipsum Aeneam, qui VI. 58 sqq. Apolline duce 'penitus repostas Massylum gentis praetentaque Syrtibus arva' (cf. V. 51, 192, VII. 302) se perlustrasse gloriatur, non concedo referoque non ad repugnantiam illam, sed ad iactantiam magniloquentiamque vel Aeneae vel poetae, cuius rei exempla cum permulta sint enumerare supersedeo. Unum tamen non possum quin commemorem, tritissimum illud ostentationis I. 378 sq. 'sum pius

[1]) Tibullus quidem simili ratione usus est I. 5, 35 sq. de votis inanibus, 'quae nunc Eurusque Notusque iactat odoratos vota per Armenios' (sc. ab urbe Roma), ubi eruditulí legerunt 'Caurusque Notusque'.

[2]) Suppari ratione nos 'Kölner Zug' dicimus agmen curruum vaporibus agitatorum qui ad nostram urbem Colonia vehnutur. Sed si quis Assindiae interrogaverit: Wann fährt der Kölner Zug ab? num balbutire videatur? Videretur, si ita hic loqueretur de quolibet commeatu.

[3]) In Georgicis vel Eclogis hoc commento nondum usus est cf. Georg. III. 277 sq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Aeneas, raptos qui ex hoste penates classe veho mecum, fama super aethera notus'. Multa sane sunt in Aenea Vergiliano vana et gloriosa vix ferenda: has tamen ampullas tamque inanem ineptamque iactantiam, ne dicam insignem impudentiam non ferendam arbitror eoque minus tolerabilem, quod nulla omnino causa illata tanta atque adeo falsa (cf. 375 sq.) de se praedicat. Quo vitio vel Aeneae mores vel poetae artem nullo negotio possem liberare, si non iam insolita via insistens uncis includerem ut adulterina molesta illa 'fama super aethera notus'. Sed abhorret animus a secandi ratione, ubi explicandi via patet. Debebat igitur prudens poeta praemittere aliquid quo via muniretur ad illam gloriationem, quae si post I. 455 sqq., ubi Aeneas in templi foribus caelatis 'se quoque principibus permixtum adgnovit Achivis', legeretur, minus profecto dura esset. Sed ante legitur, postea, ut nunc quidem carminis contextus est, locum non habet. Itaque, quantum equidem video, fieri non poterit quin ad indicia referamus Aeneidis non absolutae illamque Aeneae gloriam praestruendi causa Maronem statuamus novos aliquos casus illaturum fuisse, si tertium librum, cuius res temporum ratione primo antecedunt, perficere potuisset. At nunc extremi illius (III.) versus meri tibicines sunt. Qua de re disputans cum Quaest. Virg. p. XXI. post Augusti iter Siciliense tantam opportunitatem ea, quae ad Imperatoris laudes pertinerent, intexendi poetam aulicum non fuisse praetermissurum, versuum 280 et 505 haud immemor dixissem, in vituperationem irrisionemque incurri Ribbeckii, viri doctrinae pleni, a quo quae mea sit sententia ut planius intellegatur, posthac, cum eadem de re scribam, non iam 'laudes', sed Naegelsbachii manium pace dicam 'honorificas allusiones'.

Corollarii loco disserere nonnulla visum est de VI. 493 'inceptus clamor frustratur hiantis', ubi cum, si 'inceptus' pro participio accipiatur, quantopere langueat sordeatque oratio, nemo non sentiat, ut grandiloquo poeta dignior sit, substantivum esse censeo. At qui tandem, dixerit quispiam, Vergilio, poetae nitidissimo, hoc 'inceptus' vocabulum obtrudere audes, quod e Cornelio (Iph. 2, 5) iam pridem expulsum, apud Livium (praef. §. 10), licet Vergilianae orationis sit amator, tamen purum putum supinum est? — 'Absiste moveri'. Probum substantivum est nec poeta indignum. A Vergilio qui multa, hoc quoque deprompsit Valerius Flaccus VI. 124 'inceptus iam lancea temnit heriles'.

Quid? In deliciis Vergilius habuit substantiva in 'us' quartae declinationis exeuntia, pleniore quodam illa sono insignia. Vide sis quae e Bucolicis Georgicis Aeneide enotavi exempla, nisi quod quaerentem me fugit, verbalium omnia; supina omisi, quorum nisi ablativi non inveniuntur indicavi, quae bis vel saepius leguntur diductis litterarum formis dilatavi. Sunt autem singularia haec: abitus abscessu accessus accitu actu aditus adsensu adventus (aestus) affatu amictus amplexus anfractu anhelitus ascensu aspectus attactu balatus (caestus) cantus casus cinctu circuitus coetus comitatus complexu concentus concubitus concursus congressu consessus conspectus contactu cultus cursus decursu descensus digressu dilectus discessu dissensu eventus exercitus exitus flatus fletus flexu flictu fluctus fetus fremitus gemitus gressus habitus halitus haustu hiatus hinnitu ictus incessu inpulsu interitus iactus iussu lapsu latratus luctus luxu missu monitu morsu motu nisu nutu obiectu obitus obtentu obtutu occasus ortus partus pastu plausus processu procursu prospectus pulsu questu recessu reditu regressus risu saltus sensus situ sonitus spiritus status strepitus successus suspectus tactus tinnitu tractu ululatu usus vagitus venatus versus victus visu; pluralia: aditus adsultus (aestus) amplexus aspectus balatus (caestus) cantus casus complexus conatus (nunquam 'conata, orum') concubitus congressus conventus crepitus cultus cursus defectus eventus excursus flatus fletus flexus fluctus fetus gemitus gressus habitus haustus hiatus ictus incursus ingressus lapsus latratus luctus meatus monitus (A. VII. 102), ad 'monita' (A. VIII. 336 al.), ut 'inceptus' (A. VI. 493), ad 'incepta' (A. VII. 259 al.), morsus motus mugitus nexus nixus obitus ortus passus pastus questus receptus recursus reditus saltus sensus situs sonitus sortitus strepitus tinnitus tortus tractus ululatus usus venatus versus visus vocatus. Egregie igitur opinione fallitur Gossravus, qui ad XII. 95 'pluralis substantivorum in *us* raros videri esse' scribit. Uno autem loco, non pluribus, Vergilium usum illo 'inceptus' verbo non magis mirum quam multis aliis, quorum quae in 'us' quartae cadunt modo indicavi. Ac 'flictus' quidem, quod vocabulum in tota latinitate rarissimum est, apud Maronem semel (A. IX. 667) legitur, a Vergilio in usum venit Silii (Pun. IX. 322, XIV. 558) et Ausonii (Epist. XXV 20), deinde videtur in desuetudinem abisse. Nec in structura verborum haerendum. Nam quod 'inceptus hiantis' coniuncte ponitur pro 'hiantium', id nec a poetarum grammatica alienum est — hypallagen nunc vocant, cf. Iani art. poet. lat. p. 258 — nec a Vergilii consuetudine abludit. Qua de verborum copulatione confer quaeso consimilia et subsimilia exempla nullo dilectu selecta haec A. VII. 237 'verba precantia', ubi Romanus 'precantum', VIII. 462

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

'gressumque canes comitantur erilem', IX. 657 'mortalis aspectus reliquit', II. 585 sq. 'sumpsisse merentis laudabor poenas', (qui casus interpretes misere exercuit; sed accusativus est, cf. II. 576 'sceleratas sumere poenas'; nam 'poenae alicuius' apud Vergilium sunt poenae ab aliquo constitutae, cf. II. 572 'poenas Danaum', quas Helena praemetuit, et VI. 565 'deum poenas', quas Deiphoben Hecate docuit,) X. 640 'gressūsque effingit euntis', ubi Bernensis 184 'euntes'[1]), IX. 618 'biforem dat tibia cantum' I. 169 'unco non alligat anchora morsu', X. 484 'vibranti transverberat ictu'. Momentum vero facit XII. 95 sq. 'o numquam frustrata vocatūs hasta meos; nam is solus est praeter hunc de quo agimus locus quo frustrandi verbum apud Maronem legitur et cum eodem quidem, quo supra, accusativo rei coniunctum. Clamoris autem simplicem vocem incepti clamoris vice fungi, cum verborum de conatu usus in vulgus sit notus, substantivorum paulo reconditior, ne nimium mirere, provoco ad caedem, Harpyiarum caedem dico tentatam, non factam (A. III. 256 'nostraeque iniuria caedis' i. e. Mordversuch, Mordanschlag gegen uns[2])) et ad vulnera quae nondum imposita sunt; namque Aen. II. 529 sq. Politen 'infesto volnere Pyrrhus insequitur', ubi Servianus quidam 'an *vulnus* quod inflixit, an quod infligeret'. Eodem pertinent substantivorum personam vel rem, non actionem significantium nonnulla exempla, ut *gener* (A. II. 344, XII. 658) de futuro genero, *mariti* (A. IV. 35) pro procis, *coniunx* (A. III. 331, IX. 138, saepius) pro sponsa, '*vetustas* (A. X. 792 'siqua fidem tantost operi latura vetustas'), ubi 'quaeritur, an praeterito, an de futuro dicat' (Serv.), *factum* (A. IV. 109) pro consilio, nisi ita solvendum est, ut sit 'si id factum erit', *consessus* (A. V. 290 'circus erat, quo se multis cum milibus heros consessu medium tulit extructoque resedit') pro futuro consessu, ubi cum ablativo 'consessu' 'medium' arcte coniungo coll. V. 75 sq. 'multis cum milibus ibat ad tumulum, magna medius comitante caterva'. Servii enim et Servianorum[3]) implicatio potius quam explicatio admitti nullo pacto potest. Forbigeri ablativum de loco quo quis tendit intellegi posse opinantis ratio ratione carens iure ac merito exploditur a Gossravo, qui ad coniecturam confugit. Thielii autem eumque secuti Ribbeckii, qui 'consessu' dativum esse putant, interpretatio et ipsa aliquot difficultatibus premi videtur. Nam si dativus consilium indicaret (i. e. ut ibi consideret), siquidem intellegi quid diceret voluit poeta, 'consessum' ei erat scribendum; sin spectantium locum significari malis, quod Heynio probatum esse video, notandum est 'consessus' vocabulum de ipso loco, praesertim de loco quo non convenerunt, sed conventuri sunt homines, apud Vergilium legi nusquam, sin, quod Thielius vult, ipsam hominum multitudinem, considentium esse omnino non potest; namque Aeneam eo tummaxime comitantur, sin autem consessurorum, multo et expeditior et simplicior est quam supra proposui interpretatio. Maximi vero momenti est quod numquam quantum scio Vergilius, ut, quo quis tenderet, significaret, usus est dativo quartae declinationis locali, quo cur in verbalibus abstinuerit, causa in promptu est.

Sed iam praecidam. Temporis angustiae urgent. Pauca sane sunt quae scripsi; sed quo pauciora scripsissem, eo plus erat spei fore ut etiam legerentur. Restat ut, quoniam ea est multorum huius aetatis hominum rationis ratio ac conditio, monendum esse videatur, sicui visi erimus absolute quod dicunt ac nimis confidenter locuti esse, cum omnes ad unum falli posse persuasum habeam, non eum me animum induxisse, ut docere instituerem ex cathedra tamquam Pythius Apollo, quasi certa essent et fixa quae in medium protulissem, sed, quemadmodum ait Cicero, ut homunculus unus e multis, probabilia sequens coniectura.

Scribebam Assindiae mense Augusto anni ab imperio Germanorum condito secundi

Fridericus Conrads.

---

[1]) VI. 417 sq. 'Cerberus latratu regna trifauci personat'.

[2]) Hanc significationem exhibet Georges, neglexit Coquus (Vollständiges Wörterbuch zu den Gedichten des P. Vergilius Maro von Prof. Dr. G. A. Koch. Vierte Aufl. Hannover 1870), qui cum lexicon Vergilianum omnibus et verbis et numeris et significationibus expletum scribere vellet, praeter hanc tamen etiam alias et significationes et formas et vocabula omisit, ut 'capsus' Aen. I. 396 (ed. Ribbeck.), 'convehor, convexus sum' cf. Aen. VII. 543 (Ribb.) 'ollis' ['ollus bei Verg. nur im Dat. Sing. u. Nom. Plur. *olli* als alterthümliche Form st. *illi*'], feretrum VI. 222 pro ipso rogo (verte Gerüst), quod a nullodum interprete recte explicatum video.

[3]) 'Ordo est: Quo se Aeneas medium tulit cum multis millibus, et extructo consessu resedit'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf